

dicite ergo Dominum. Quando? « In noctibus. » Quando benedixit Job? Quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia, quæ possidebantur: ablati filii, quibus servabantur. Quam tristis nox! Sed videamus si non in nocte benedicit: « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino » placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum¹. » Quam nox atra! Percussus ulcere a capite usque ad pedes, putrefactus liquescebat in se. Tunc Eva ausa est eum tentare: « Dic aliquid in Deum tuum, et morere. » Audi benedicentem in noctibus: « Locuta es, inquit, quasi una » ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de » manu Domini, mala non tolerabimus? Ecce quid est: » In noctibus extollite manus vestras in sancta, et bene- » dicite Dominum. » Quid dixit Job? « Locuta es tan- » quam una ex insipientibus mulieribus². » Adam putris repulit Evam, tanquam dicens: Sufficiat quod propter te mortalis effectus sum. Valueras in paradiso, sed vinceris in stercore³. Magna gratia Dei. Sed unde hoc, nisi quia ros Hermon compluerat illam animam, et dederat Dominus suavitatem, ut terra nostra daret fructum suum⁴? « In noctibus extollite manus vestras in sancta, et bene- » dicite Dominum. »

III. « Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum » et terram⁵. » Plures hortatur ut benedicant, et ipse unum benedicit, quia ex pluribus unum fecit: « Quia bonum est habitare fratres in unum⁶. » Pluralis numerus, fratres; sed singularis, « Habitare in unum. » Ideo, « Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram. » Nemo vestrum dicat: Ad me non pervenit. Putas quis est quem dixit: « Benedicat te Dominus ex Sion? » Unum benedixit. Esto unum, et pervenit ad te benedictio.

¹ Job. 1, 21. — ² Id. 11, 7-10. — ³ Gen. 3, 6. — ⁴ Psal. LXXXIV, 13. — ⁵ Id. CXXXIII, 3. — ⁶ Id. CXXXII, 1.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXXIV.

Sermo ad plebem.

I. VALDE dulce nobis esse debet, et dulce nobis esse gaudendum est, quo nos Psalmus iste cohortatur. Dicit enim: « Laudate nomen Domini¹. » Causamque ipsam quare justum sit ut laudemus nomen Domini, continuo subjecit: « Laudate servi Domini. » Quid justius? quid dignius? quid gratius? Etenim si non laudaverint servi Dominum; superbi, ingrati, irreligiosi erunt. Et quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum? Neque enim servus ingratus, si Dominum suum laudare noluerit, ideo efficit ut servus non sit. Laudes, non laudes, servus es, sed si laudes, propitiabis; si non laudes, offendes. Bona ergo exhortatio et utilis; unde magis satagere debemus quemadmodum laudandus sit Deus, quam dubitare laudandum. « Laudate ergo nomen » Domini. » Hortatur nos Psalmus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur postremo nos ipse Dominus, ut laudemus Dominum. Non enim laudibus nostris ille crescit, sed nos. Deus nec melior fit, si laudaveris; nec deterior, si vituperaveris: sed tu laudando bonum, melior eris; vituperando, deterior: bonus autem ille manet, ut est. Si enim servos suos ipsos bene de se meritos, prædicatores verbi sui, rectores Ecclesiæ

¹ Psal. CXXXIV, 1.

suæ, veneratores nominis sui, obtemperatores mandati sui id docet, ut in conscientia sua habeant dulcedinem bonæ vitæ suæ, ne corrumpantur laudibus, ne frangantur vituperationibus hominum; quanto magis ipse incommutabilis super omnia qui hæc docet, non utique major fit si laudaveris, nec minor si vituperaveris? Sed quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer jubet ut laudemus eum non arroganter. Audiamus ergo quod dicit: « Laudate nomen Domini, laudate servi Domini. » Non enim aliquid incongruum facitis, laudando servi Dominum. Etsi semper tantummodo servi essetis, deberetis laudare Dominum: quanto magis debetis laudare Dominum servi, ut esse mereamini et filii?

II. Sed quoniam scriptum est in alio Psalmo: « Rectos » decet laudatio¹: » et item alibi scriptum est: « Non est » speciosa laus in ore peccatoris²: » itemque alibi dicitur: « Sacrificium laudis glorificabit me, et ibi via est in » qua ostendam illi salutare Dei³: » et consequenter, « Peccatori autem dixit Deus, Ut quid tu enarras justitias » meas; et assumis testamentum meum per os tuum? Tu » autem odisti disciplinam, et projecisti sermones meos » post te⁴: » ne forte quisquam, quoniam dictum est: « Laudate servi Dominum, » etiamsi in domo ista magna fuerit malus servus, putet sibi prodesse laudem Domini, continuo quales sint qui laudare debeant Dominum, subjicit et docet: « Qui statis in domo Domini, in atriis » domus Dei nostri⁵. Qui statis, » non qui ruitis. Illi autem stare dicuntur, qui in mandatis ejus perseverant, qui in fide non ficta, et spe firma, et charitate sincera serviunt Deo, et honorant Ecclesiam ejus, et non dant offensionem male vivendo, eis qui venire volunt, et in

¹ Psal. xxxii, 1. — ² Eccli. xv, 9. — ³ Psal. xlix, 3. — ⁴ Ibid. 16, 17. — ⁵ Id. cxxxiv, 2.

via lapides offensionis inveniunt. Ergo, « Qui statis in domo Domini, laudate nomen Domini. » Grati estote: foris eratis, et intus statis. Quia ergo statis, parum-ne est vobis, ubi laudandus est qui vos erexit jacentes, et fecit in domo sua stare, et ipsum agnoscere ipsumque laudare? Parvum-ne hoc beneficium est, quod stamus in domo Domini? Hic interim, in hac peregrinatione, in hac domo, quod etiam peregrinationis tabernaculum dicitur, quia hic stamus, numquid parum grati esse debemus? Nonne cogitandum est quia hic stamus? Nonne cogitandum est quid facti fuerimus? Nonne cogitandum est ubi jacebamus, et quo collecti sumus? Nonne cogitandum est quia omnes impii Dominum non quærebant, et ipse illos non quærentes quæsit, ipse inventos excitavit, ipse excitatos vocavit, ipse vocatos introduxit, et in domo sua stare fecit? Hæc quisquis cogitat, et ingratus non est, omnino despicit se præ amore Domini sui, a quo sibi tanta præstita sunt. Et quoniam non habet quid pro tantis beneficiis Deo retribuatur, quid ei restat nisi gratias agere, non rependere? Ad ipsam gratiarum actionem pertinet, et calicem Domini accipere, et nomen ejus invocare. Nam quid retribuatur Domino servus, pro omnibus quæ retribuit illi¹? Ergo, « Qui statis in domo Domini, » in atriis domus Dei nostri, laudate Dominum². »

III. Quid dicturus sum quare laudetis? « Quoniam bonus Dominus. » Breviter uno verbo explicata est laus Domini Dei nostri: « Bonus Dominus. » Sed bonus, non ut sunt bona quæ fecit. Nam fecit Deus omnia bona valde³: non tantum bona, sed et valde. Coelum et terram et omnia quæ in eis sunt bona fecit, et valde bona fecit. Si hæc omnia bona fecit, qualis est ille qui fecit? Et tamen cum bona fecerit, multoque sit melior qui fecit, quam

¹ Psal. cxv, 12, 13. — ² Id. cxxxiv, 3. — ³ Gen. 1, 31.

ista quæ fecit ; non invenis melius quod de illo dicas, nisi « Quia bonus est Dominus : » si tamen intelligas proprie bonum, a quo sunt cætera bona. Omnia enim bona ipse fecit : ipse est bonus quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono : ille se ipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. « Mihi autem ad- » hærere Deo bonum est ¹, » qui non eguit a quo fieret bonus ; sed eguerunt illo cætera ut fierent bona. Vultis audire quam singulariter ille sit bonus ? Dominus interrogatus dixit : « Nemo bonus, nisi unus Deus ². » Hanc singularitatem bonitatis ejus, et præterire breviter nolo, et commendare congrue non sufficio. Metuo ne si hinc cito transiero, ego ingratus inveniar : item metuo ne hoc cum explicandum suscepero, sub tanta laudis Dominicæ sarcina defatiger. Sic tamen, fratres, accipite me et laudantem et non sufficientem, ut etiamsi non impletur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris devotio. Approbet me ipse voluisse, ignoscat non implevisse.

IV. Ineffabili dulcedine teneor, cum audio « Bonus » Dominus : » consideratisque omnibus et collustratis quæ forinsecus video, quoniam ex ipso sunt omnia, etiam cum mihi hæc placent, ad illum redeo a quo sunt, ut intelligam « Quoniam bonus est Dominus. » Rursum cum ad illum, quantum possum, ingressus fuero, interiorum mihi et superiorum invenio : quia sic bonus est Dominus, ut istis non indigeat quo sit bonus. Denique ista non laudo sine illo : illum autem sine istis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur, nullius malum timentem quo minuatur, invenio. Et quid dicam amplius ? Invenio in creatura cælum bonum, solem bonum, lunam bonam, stellas bonas, terram bonam, quæ gignuntur in terra et radicibus nixa sunt, bona ;

¹ Psal. lxxii, 28. — ² Matth. xix, 17.

quæ ambulant et moventur, bona ; quæ volitant in aëre et natant in aquis, bona. Dico et hominem bonum : « Homo enim bonus de bono thesauro cordis sui profert » bonum ¹. » Dico et Angelum bonum, qui non est lapsus superbia et diabolus factus est ; sed inhæret obediendo ei a quo factus est. Omnia ista dico bona, sed tamen cum suis nominibus, cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum : ad Deum autem cum me refero, puto melius nihil dicere quam bonum. Ipse quippe Dominus Jesus Christus dixit : « Homo bonus ² : » et ipse item dixit : « Nemo bonus nisi unus Deus ³. » Nonne stimulavit nos ad quærendum et ad distinguendum quid sit bonum alio bono bonum, et bonum se ipso bonum ? Quam ergo bonum est, a quo sunt omnia bona ? Omnino nullum invenias bonum, quod non ab illo sit bonum. Bonum bona faciens sicuti est proprie, sic et bonum est proprie. Neque enim ea quæ fecit, non sunt ; aut injuria illi fit, cum dicimus non esse quæ fecit. Quare enim fecit, si non sunt quæ fecit ? Aut quid fecit, si non est quod fecit ? Cum ergo sint et illa quæ fecit, venit tamen ad illius comparisonem ; et tanquam solus sit, dixit : Ego sum » qui sum : » et, « Dices filiis Israël : Qui est, misit » me ad vos ⁴. » Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus : quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit : et tanquam hoc esset ei nomen, « Hoc dices eis, inquit : » Qui est, misit me. » Ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea quæ facta sunt, non sint. Illo non comparato, sunt ; quoniam ab illo sunt : illi autem comparata, non sunt ; quia verum esse, incommutabile esse est, quod ille solus est. Est enim est, sicut bonorum bonum, bo-

¹ Matth. xii, 35. — ² Ibid. — ³ Marc. x, 18. — ⁴ Exod. iii, 14.

num est. Cogitate, et videte quoniam quidquid aliud laudatis, ideo laudatis quia bonum est. Insanit qui laudat quod non est bonum. Si laudes iniquum eo ipso quo iniquus est, nonne et tu iniquus eris? Si laudes furem eo ipso quo fur est, nonne et tu particeps eris? Si laudes justum in eo ipso quo justus est, nonne et tu habes inde partem laudando? Non enim laudares justum, nisi amares: non amares, si nihil inde haberes. Si ergo quidquid aliud laudamus, ideo laudamus quia bonum est; nulla tibi major causa et melior et firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est. Ergo, « Laudate Dominum, » quoniam bonus est. »

V. Quandiu dicamus ejus bonitatem? Quis corde concipiat, aut complectatur quam bonus sit Dominus? Sed ad nos redeamus, et in nobis illum agnoscamus, et in operibus artificem laudemus: quia ipsum contemplari idonei non sumus. Etsi contemplari idonei aliquando erimus: cum fuerit mundatum cor nostrum fide, ut postremo gaudeat veritate: nunc quoniam ipse a nobis videri non potest, opera ejus videamus, ne sine ejus laude remaneamus. Ergo dixi: « Laudate Dominum, quoniam » bonus est: psallite nomini ejus, quoniam suavis est. » Forte esset bonus et suavis non esset, si tibi non daret posse gustare. Talem autem se præbuit hominibus, ut etiam panem de coelo miserit, et filium suum æqualem, qui hoc est quod ipse, dederit hominem faciendum, et pro hominibus occidendum¹; ut per hoc quod tu es, gustes quod non es. Multum enim ad te erat gustare suavitatem Dei; quia remota erat illa et nimis alta, tu autem nimis abjectus et in imo jacens. In magna ista separatione missus est mediator. Non poteris ad Deum homo, Deus factus est homo; ut quoniam homo potes ad hominem,

¹ Joan. vi, 41 et 10.

qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum: et factus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus¹. Sed si homo solum esset, hoc sequendo quod es, nunquam pervenires: si Deus solum esset, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires: Deus factus est homo, ut hominem sequendo, quod potes, ad Deum pervenias, quod non poteris. Ipse est mediator, inde factus est suavis. Quid suavius pane Angelorum? Quomodo non est suavis Dominus, quando panem Angelorum manducavit homo²? Non enim aliunde vivit homo, et aliunde vivit Angelus. Ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei: sed quomodo ea perfruuntur Angeli tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est, « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta » sunt omnia³. » Tu autem quomodo contingis? Quia, « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Ut enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. « Psallite ergo nomini ejus, » quoniam suavis est. » Si gustastis, psallite; si gustastis quam suavis est Dominus, psallite; si bene sapit quod gustastis, laudate. Quis tam ingratus est vel coquenti vel pascenti, ut cum fuerit pulmento aliquo delectatus, non reddat gratiam laudando quod gustat? Si de his non taceamus, de illo qui dedit omnia tacebimus? « Psallite nomini ejus, quoniam suavis est. »

VI. Et audite jam opera ejus. Tendebatis enim vos fortassis videre bonum omnium bonorum, bonum a quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, et bonum quod sine cæteris bonum est: tendebatis vos ut videretis, et forte in extendenda acie mentis vestræ deficiebatis. Hoc enim ex me conjicio, sic patior. Sed etsi est

¹ 1. Tim. ii, 5. — ² Psal. lxxvii, 25. — ³ Joan. i, 1 et 14.

aliquis, sicut fieri potest, et valde potest, acie mentis fortior me, et contuitum cordis sui diu figit in eo quod est: laudet ille ut potest, et, quomodo nos non possumus, laudet. Gratias tamen illi, qui in hoc Psalmo temperavit laudem suam, ut et firmorum esset et infirmorum. Nam et in illa missione servi sui Moysi cum diceret: « Ego sum qui » sum: » et, « Dices filiis Israël, Qui est, misit me ad » vos¹: » quia ipsum proprie esse menti humanæ difficile erat capere, et mittebatur homo ad homines, quamvis non ab homine; continuo Deus temperavit laudem suam, et hoc de se dixit quod capi dulciter posset: non in eo voluit remanere quod laudabatur, quo non posset laudator attingere. « Vade, inquit, dic filiis Israël: Deus » Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos: » hoc mihi nomen est in æternum². » Certe, Domine, nomen illud habes: quia et tu dixisti; « Ego sum: Qui » est misit me ad vos. » Unde modo nomen mutasti, ut diceres: « Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob? » Nonne tibi videtur ratio ejus respondere, et dicere: Quod dixi: « Ego sum qui sum: » verum est, sed non capis: quod autem dixi: « Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac » et Deus Jacob; » et verum est, et capis? Quod enim, « Ego sum qui sum, » ad me pertinet: quod autem Deus » Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, » ad te pertinet. Et si deficis in eo quod mihi sum, cape quod tibi sum. Et ne forte quisquam putaret illud quod dixit Deus: « Ego » sum qui sum; » et, « Qui est misit me ad vos, » hoc solum æternum ei nomen esse: quod autem dixit: « Ego » sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, » temporale nomen esse: non curavit Deus, cum dixisset: « Ego » sum, qui sum; » et, « Qui est misit me ad vos; » dicere quod hoc ei nomen sit in æternum: quia etsi hoc

¹ Exod. iii, 14. — ² Ibid. 15.

non diceret, intelligeretur. Est enim, et vere est, et eo ipso quod vere est, sine initio et sine termino est. Quod vero propter hominem est, « Ego sum Deus Abraham et » Deus Isaac et Deus Jacob, » ne ibi suboriretur humana sollicitudo, quia hoc temporale est, non sempiternum, securos nos fecit, quia de temporalibus ad æternam vitam nos perducit. « Hoc, inquit, mihi nomen est in æter- » num, » non quia æternus Abraham et æternus Isaac et æternus Jacob, sed quia Deus illos facit æternos postea sine fine. Habuerunt quippe initium, sed finem non habebunt.

VII. In Abraham et Isaac et Jacob totam Ecclesiam ejus cogitate, omne semen Israël cogitate: omne autem semen Israël, non solum quod est ex carne, sed etiam quod est ex fide. Apostolus enim Gentibus loquebatur, quibus dicebat: « Si ergo vos Christi, ergo semen Abraham » estis, secundum promissionem hæredes¹. » Benedicimur ergo omnes in Deo Abraham et Isaac et Jacob. Arborem quidem benedixit quamdam, eamque olivam creavit, sicut dixit Apostolus, ipsos Patriarchas sanctos, unde effloruit populus Dei: sed hæc arbor olivæ putata est, non amputata, et inde superbi rami fracti sunt: ipse est blasphemus et impius populus Judæorum. Manserunt tamen rami boni et utiles: nam inde Apostoli, et cum ibi rami utiles relictis essent, per Dei misericordiam insertus est et oleaster Gentium cui dicit Apostolus: « Tu autem » cum esses oleaster insertus es in illis, et particeps pinguedinis olivæ factus es. Noli gloriari adversus ramos. » Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te². » Hæc una arbor est pertinens ad Abraham et Isaac et Jacob; et quod plus est, magis ad Abraham et Isaac et Jacob oleaster insertus, quam rami confracti. Illi enim per

¹ Gal. iii, 29. — ² Rom. xi, 17, 18.

fragmentum jam non ibi sunt, oleaster non ibi erat et ibi est: illi per superbiam frangi meruerunt, iste per humilitatem inseri meruit: illi amiserunt radicem, iste tenuit eam. Cum ergo audistis Israël Dei, Israël pertinentem ad Deum, inde nolite vos facere alienos. Oleaster quidem fuistis, sed oliva estis, participes pinguedinis olivæ. Nam vultis nosse in Abraham et Isaac et Jacob quomodo sit insertus oleaster, ne putetis vos ad hanc arborem non pertinere, quia non pertinētis carnaliter ad semen Abraham? Dominus quando miratus est fidem Centurionis illius, qui non erat de populo Israël, sed erat de populo Gentium: « Propterea, inquit, dico vobis, quia multi ab Oriente » et Occidente venient¹: » Ecce jam oleaster in manu insertoris: « Multi ab Oriente et Occidente venient. » Videmus quid ferat inserendum, ubi inserat videamus: « Et » recumbent, inquit, cum Abraham, Isaac et Jacob, in » regno cælorum. » Videmus et quid inseruit, et ubi inseruit. De ramis superbis naturalibus quid dicit? Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Res prænuntiata, res impleta.

VIII. Ergo, « Psallite Domino, quoniam suavis est. » Et attendite quæ circa nos fecit. « Quoniam Jacob elegit » sibi Dominus, Israël in possessionem sibi². » Laudate, psallite, quoniam fecit ista. Talia dico, quæ capere valeatis. Cæteras gentes sub Angelis posuit: « Jacob elegit » sibi Dominus, Israël in possessionem sibi. » Gentem suam fecit agrum, quem coleret, quem ipse seminaret: quamvis ipse omnes gentes condiderit, cæteras Angelis commisit, sibi istam possidendam servandamque deputavit: hunc populum, hunc Jacob. Merito illius, an gratia sua? De nondum natis ait: « Quia major serviet minori³, » Apostolus dixit. Quod meritum habere nondum nati po-

¹ Matth. viii, 11. — ² Psal. cxxxiv, 4. — ³ Rom. ix, 13.

tuerunt, antequam quisquam eorum egisset aliquid boni aut mali? Non ergo se extollat Jacob, non gloriatur, non suis meritis tribuat. Ante est præcognitus, ante prædestinatus, ante electus: non suis meritis electus, sed gratia Dei inventus et vivificatus. Sic et omnes gentes: nam ut insereretur, quid meruit oleaster, amaritudine baccarum, sterilitate sylvestri? Lignum quippe erat sylvæ, non agri dominici; et tamen ille per misericordiam suam et oleastrum inseruit in olivam. Sed adhuc non erat insertus oleaster, quando « Dominus elegit sibi Jacob, Israël in possessionem sibi. »

IX. Et quid Propheta? « Quoniam ego cognovi quod » magnus est Dominus¹. » Mente volante ad superna, erecta a carne transcendente creaturam, cognovit quia magnus est Dominus. Non omnes possunt videndo cognoscere: laudent quod fecit; « Suavis est: Jacob elegit » sibi Dominus, Israël in possessionem sibi. » Et hinc illum lauda: Nam et « Ego cognovi, quia magnus est Dominus. » Propheta loquebatur, qui intravit in sanctuarium Dei, « Qui audivit forte ineffabilia verba, quæ non » licet homini loqui²; » qui dixit quod posset hominibus dici, et tenuit apud se quod non posset dici. Ergo et audiat ad quod possumus et credatur ad quod non possumus. Ad quod possumus audiatur, « Quoniam Jacob elegit sibi » Dominus, Israël in possessionem sibi: » ad quod non possumus credatur, quia ipse cognovit « Quod magnus » est Dominus. » Si illi diceremus, rogamus te, explica magnitudinem illius: nonne forte responderet nobis, non est valde magnus quem video, si a me poterit explicari. Redeat ergo ad opera ejus, et dicat nobis. Habeat ipse in conscientia magnitudinem Domini, quam vidit, quam nobis credendam commendavit; quo nostros oculos per-

¹ Psal. cxxxiv, 5. — ² 2 Cor. xii, 4.

ducere non potuit : et enumeret quædam quæ hic Dominus fecit ; ut et nobis , qui magnitudinem illius sicut ille videre non possumus , dulcescat ex operibus suis , quæ capere possumus . « Quoniam ego , inquit , cognovi quod » magnus est Dominus , et Deus noster super omnes deos . » Quos deos ? Sicut dicit Apostolus , « Etsi sunt qui dicantur dii in cœlo et in terra , sicut sunt dii multi et domini multi ; nobis tamen unus Deus , Pater ex quo » omnia , et nos in ipso , et unus Dominus noster Jesus » Christus , per quem omnia , et nos per ipsum ¹ . » Dicantur dii homines . Dictum est enim , « Deus stetit in synagoga deorum . » Dictum est , « Ego dixi , Dii estis et filii Altissimi omnes ² : » nonne super homines Deus ? Sed quid magnum si super homines Deus ? Et super Angelos Deus : quia Angeli non fecerunt Deum , Angelos fecit Deus ; et necesse est super omnia quæ fecit , sit ipse qui fecit . Cognoscens ergo magnitudinem Domini iste , et videns eum super omnem esse creaturam , non tantum corporalem , sed etiam spiritalem : « Rex magnus , inquit , » super omnes deos . » Ipse est summus Deus , qui super se non habet Deum . Opera ejus dicat , ipsa capiuntur .

X. « Omnia quæcumque voluit Dominus , fecit in cœlo » et in terra , in mari et in omnibus abyssis ³ . » Quis autem comprehendat hæc ? Quis enumeret opera Domini in cœlo et in terra , in mari et in omnibus abyssis . Tamen si comprehendere omnia non possumus , inconcusse credere et tenere debemus , quoniam quidquid creaturarum in cœlo , quidquid in terra , quidquid in mari et in omnibus abyssis , a Domino factum est : quia « Omnia quæ » voluit , fecit in cœlo et in terra , in mari et in omnibus » abyssis , » sicut jam diximus . Non omnia quæ fecit , coactus est facere , sed « Omnia quæcumque voluit fecit . »

¹ 1 Cor. viii , 5 , 6 . — ² Psal. lxxi , 1 et 6 . — ³ Id. cxxxiv , 6 .

Causa omnium quæ fecit , voluntas ejus est . Facis tu domum , quia si nolles facere , sine habitatione remaneres : necessitas cogit te facere domum , non libera voluntas . Facis vestem , quia si non faceres , nudus ambulares : ad faciendam ergo vestem necessitate duceris , non libera voluntate . Conseris montem vitibus , semen spargis : quia nisi feceris , alimenta non habebis : omnia hæc necessitate facis . Deus bonitate fecit , nullo quod fecit eguit : ideo , « Omnia quæcumque voluit fecit . »

XI. Putas , habemus et nos quod libera voluntate faciamus ? Ea enim quæ diximus , ex necessitate facimus : quia si non faceremus , egentes et inopes remaneremus . Invenimus aliquid quod libera voluntate faciamus ? Invenimus plane , cum ipsum Deum amando laudamus . Hoc enim libera voluntate facis , quando amas quod laudas : non enim ex necessitate , sed quia placet . Unde justis et sanctis Dei placuit Deus , etiam flagellans eos . Quando iniquis omnibus displicet , placuit illis ; et sub flagello ejus , in ærumna , in laboribus , in vulneribus , in egestate constituti laudaverunt Deum : non eis displicuit nec torquens . Hoc est gratis amare , non quasi proposita acceptione mercedis ; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit , quem gratis diligis : et sic amare debes , ut ipsum pro mercede desiderare non desinas , qui solus te satiet ; sicut Philippus desiderabat , cum diceret , « Ostende nobis » his Patrem , et sufficit nobis ¹ . » Merito , quia hoc de libera voluntate facimus , et de libera voluntate facere debemus , quia delectati facimus , amando facimus : quia etsi corripimur ab illo , nobis nunquam displicere debet , qui semper est justus . Hoc dixit ille laudator ejus : « In me » sunt Deus vota tua , quæ red dam laudationis tibi ² . » Et alio loco , « Voluntarie sacrificabo tibi ³ . » Quid est ,

¹ Joan. xiv , 8 . — ² Psal. lv , 12 . — ³ Id. lvi , 8 .

« Voluntarie sacrificabo? » Voluntarie laudabo te. Quia, « Sacrificium laudis, inquit, glorificabit me ¹. » Si cogeres offerre Domino tuo sacrificium gratum illi et acceptum, sicut antea vovebantur sacrificia in umbra futurorum, forte non invenires in grege tuo placitum taurum, et in capris hircum aræ Domini dignum, nec in ovili tuo arietem dignum ad victimam Domino tuo; et non inveniens satageres quid faceres, et diceres forte Deo, Volui, et non habui. Numquid potes de laude dicere, Volui, et non habui? Ipsum voluisse, laudasse est. Non enim verba a te quærit Deus, sed cor. Denique potes dicere, et linguam non habui. Si quis obmutescit aliqua valetudine, linguam non habuit, et tamen laudem habuit. Si enim Deus aures carnales haberet, et sono tui corporis indigeret, ideo cum remansisses sine lingua, sine laude etiam remaneres: nunc vero quia cor quærit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adjutor, coronator ²; sufficit ut offeras voluntatem. Cum potes, ore confiteris ad salutem: cum autem non potes, corde credis ad justitiam: corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis: et respondetur tibi, « Pax in terra hominibus bonæ voluntatis ³. »

XII. Ille igitur Deus, qui omnipotens est, « In cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit: » tu in domo tua non facis omnia quæ vis. Ille « In cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit: » tu fac vel in agro tuo omnia quæ vis. Multa vis, et non potes in domo tua facere omnia quæ vis: contradicit forte uxor, contradicunt filii, aliquando et servulus contumacia contradicit, et non facis quod vis. Sed facio, inquis, quod volo: quia in non obediēte ac contradicente vindico. Nec hoc facis, cum vis. Aliquando vindicare vis, et non potes: aliquando mina-

¹ Psal. XLIX, 23. — ² Rom. X, 10. — ³ Luc. II, 14.

ris, et antequam facias quod minaris, moreris. Putamus in te ipso facis quod vis? Frenas omnes cupiditates tuas? Forsitan frenas: numquid efficis ut ipsæ cupiditates non surgant, quas frenas? Certe enim hoc vis, non titillari molestia cupidatum tuarum: et tamen « Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis ¹. » Tu in teipso non facis quod vis: « Deus autem noster in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit. » Ipse tibi det gratiam, ut in te ipso facias quod vis: nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis quod vis. Etenim cum ille non faceret in se quod vellet, qui ait: « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis: » cum de se ipse gemeret, dicens, « Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis ²: » quia non solum in domo sua, nec solum in agro suo, sed in carne sua vel in spiritu suo non implevit quæ volebat, clamavit ad Deum, qui « Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra: » et dixit: « Infelix ego homo ³, » quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et ille bonus, et ille suavis tanquam responderet ei, continuo subjecit. « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum ⁴. » Hanc ergo suaviter amate, hanc suaviter laudate. Intelligite Deum, qui « Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra: » ipse et in vobis faciet quod vultis, ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis. Sed dum non potestis, confitemini; cum poteritis, gratias agite jacentes, clamate; erecti, superbire nolite. Ille ergo « In cœlo et

¹ Gal. V, 17. — ² Rom. VII, 22, 23. — ³ Ibid. 24. — ⁴ Ibid. 25.